

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Raptor.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Ob astutiam vero Pindarus adversus inimicos comparare se unumquemque monet λόγοις δίνει,
more Lupi: ad id scilicet respiciens, quod Lupus tortuosis ambagibus vestigia perplexa ponit mo-
do hac, modo illac procurrens, ut non facile, qua te parte sit invasurus, aspicias.

RAPTOR. CAP. IV.

B Ellicos vero viris plerisque omnibus is natura mos insitus, ut convectare juvet prædas, & <sup>Milit. nra-
tura. & rapt. hieroglyphic.</sup> vivere rapto, id quod etiam inter precipua virtutum suarum præconia, magnificè atque glori-
ose admodum recensere solent. Unde furacem & raptorem hominem per Lupum ostendi, multi
aptum & congruens existimatū hieroglyphicum: quod quidem minime alienum est a veterum
disciplina, eorum maximè Philosophorum consensu, qui palingenesiam posuere, ut remotorem
doctrinam illam, quam ab Aegyptiis acceperant, novo commento hujusmodi fabularum involucris
occultarent. Illi enim hominem, qui semper promptus & paratus fuisset ad rapinas, post obitum in
Lupum abire tradiderunt, ut in Phædone Socrates: que tamen dictata Porphyrius & Iamblichus
non sunt passi diutius in tenebris latitare: sed quid ea sibi vellent, latissime omnia pandere curæ
preium habuere. Hos secutus Poëta Claudianus, predones ait, ab Rhadamantho Lupis objici soli-
tos: ridiculeque, ut assolet Arisloph. Simonem bonorum publicorum depeculatorum exprimi per
Lupum à Nebulis jocatur. Et Lupi nomen in Divinis literis, ut observarunt Theologi, non secus ac
Vulpecula, semper in mali cujuspiam significatum accipitur. Ac cacodæmon est interdum Lupus,
plerumque tamen raptor in Evangel. Intrinsicus autem sunt Lupi rapaces. Quod vero Jacob ait, ^{Gen. 39. 27.} Ben-
jamin Lupus rapax, mane capiet prædam, vespero autem reddet, de Pauli conversione dictum & Euche-
rius & alii plerique putant.

IMPROBITAS MERETRICIA. CAP. V.

E T qui meretriciam improbitatem per Lupæ simulacrum fi-
gnificari contendunt, hieroglyphicum nimirum id à rapaci-
tate desumptum autumant. Notum enim, meretrices Lupas ap-
pellari, & inde Lukanaria dici. Ea de causa Messalina, flagito-
sum Imperatorie majestatis dedecus, Lycisca nomen mentiri
delectabatur, de qua Satyricus Poëta:

Tunc nido papillis.

Constitut auratis nomen mentita Lycisca.

Cicero in Milioniana, Clodius semper secum scortæ, semper Lupas
ducebat.

FORMIDATOR INANIUM. CAP. VI.

A Tque hoc tam bellicosum, tam noctivagum animal, mini-
ma quadam re, lapidis quippe alicuius auditu tantum stre-
pitu, terri solet. Unde Sacerdotes Aegypti, si quem vanis ru-
moribus & inaniis rei formidine conterratiū indicare vellent,
hieroglyphicum ex Lupo & faxi telo aliquo prope adscito facere
D confuerunt: ita enim est eorum ingenium, ut qui neque fer-
rum evitent, neque fustum tremiscant, lapidem tantum impen-
dio perhorrescant, cuius iactum adeo perniciosum sentiunt, ut
qua parte tacti fuerint, computrescant, veribus quam ocy-
fime redditis. Quinetiam reperti sunt, qui vel duorum con-
cussu lapidum strepidum cientes, serocissimos à se Lupos abegerint. Nobis pueris narrare so-
lebat Laurentius pater, homo minime vanus aut fabulosus, cum is ex Noricis Alpibus in Bellunen-
sem agrum descendaret, via plurimum scrupulosa, sibi nocte prævento ad quintum ab urbe lapi-
dem repente tres Lupos visendæ magnitudinis apparuisse, quos cum qua ratione summoveret se-
cum agitaret, id sibi divinitus incidisse menti, ut dejecto in terram retinaculo, quo per noctem

Equus



Juvenalis.



Lupi strepi-
datio ex lan-
pidum pre-
piu.

<sup>Patrii I.
Pterii fa-
ctum.</sup>